



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. V. De sacra Pœnitentiaria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

*Bulle diversorum Pontificum. Vestrius in  
prax. l. 2. c. 16. Lunadoro in relat. De Luca Rel.  
Rom. Cur. disc. 14.*

C A P U T V.

De sacra Pœnitentiaria.

§. I.

De Majori Pœnitentiaro,  
ejusque munere.

1. *S. Petrus ejusque Successores acceperunt à  
Christo ligandi & solvendi potestatem.*
2. *Hanc tribuit Pontifex etiam Pœnitentiarius.*
3. *Qui constituti sunt olim ut pro modo culpæ  
pœnitentiam imponerent.*
4. *Et Romæ quidem duo in quavis Parochia,  
Caput eorum nunc dicitur Major Pœniten-  
tarius.*
5. *Et Cardinalis esse solet.*
6. *Cum sit una ex primariis dignitatibus.*
7. *Instituta à Benedicto II. aliisque Pontificibus  
confirmata.*
8. *Olim amplissima fuit ejus jurisdictio, nunc  
restricta est.*
9. *Officium suum per se ipsum exercere debet,  
vel impeditus per alium Cardinalem.*
10. *Semel in mense habetur Signatura Pœni-  
tentiariæ.*

11. *Sin-*



11. *Singulis annis audit Pœnitentes in singulis tribus primariis Urbis Basilicis.*
12. *In rebus gravioribus jubentur Pœnitentes dire Officiales, & Pœnitentiaros minores.*
13. *Qui in tribus primariis Ecclesiis constituti sunt.*
14. *Quos constituit Major Pœnitentiarius. Officia eorum & privilegia.*
15. *Major Pœnitentiarius, dum excipit Confessiones, tenet virgam pœnitentialem.*
16. *Ter celebrat Missam coram Pontifice.*
17. *Literas gratis expedit. Et qua forma?*
18. *Quadruplices concedit gratias.*
19. *Qualem habeat potestatem absolvendi ac dispensandi.*
20. *Circa quæ hæc potestas versetur.*
21. *Sede vacante quæ expedire possit, & quæ non.*
22. *Quomodo subscribat literas.*
23. *Executio earum non impedienda.*
24. *Salarium M. Pœnitentiarum.*

I.

**A**Cceperunt S. Petrus, ejusque in Sede Apostolica Successores à Christo Servatore nostro claves regni Cœlorum, & potestatem ligandi suis legibus quoscunque vellent, eosdemque solvendi non tantum per dispensationes ab humana legis obligatione, sed etiam per indu-



indulgentias à peccatis in divinam legem commissis.

2. Hanc absolvendi pœnasque imponendi pro gravitate delicti facultatem tribuit deinde Pontifex quibusdam etiam aliis peculiariter, qui Pœnitentarii dicti sunt.

3. Cum enim circa annum Christi ducentimum quinquagesimum tempore S. Cypriani & S. Cornelii Papæ quæstio & contentio magna oriretur: An relapsi ad idololatriam recipiendi essent ad Ecclesiam nec ne, aliis cum Novitiano id negantibus, aliis verò affirmantibus, prævaluit tandem pars major recipendos esse. Cum verò quidam gravius, quidam levius peccassent dum alii thura Diis immolassent, alii verò non, aliqui etiam Martyrium subiissent, sed cruciatibus victi à confessione veræ fidei resiliissent, constituti sunt Sacerdotes, qui pro modo culpæ admissæ pœnitentiam imponerent & hi Pœnitentarii appellati sunt.

4. Persecutione deinde cessante & tranquillitate Ecclesiæ reddita Officium Pœnitentiariorum ad alia quoque delicta se extendit, ideoque constituti sunt Romæ in quavis Ecclesia Parochiali duo, qui Pœnitentibus pœnas imponerent secundum



cundum Canones pœnitentiales, & est verisimile habuisse illos caput aliquod, qui primus fuit Pœnitentiarius, quo cum occurrentes quotidie casus contulerunt, quique graviores postulante necessitate ad Pontificem retulit, ejusque mentem & jussa executus est. Hic nunc major dicitur Pœnitentiarius, sustinetque officium in Curiâ Romanâ valde honoratum.

5. Quod hoc tempore conferri solet alicui ex sacro Collegio Cardinalium, insigni scientiâ, prudentiâ atque benignitate conspicuo, qui sit Presbyter, & Magister in Theologia, sive Decretorum Doctor *Pius V. Const. 83. §. 6.*

6. Est enim una in Urbe ex primariis post summum Sacerdotium dignitas, quæ annexam habet insignem auctoritatis prærogativam. *Gomes in Proœm. Reg. Cancel.*

7. Hæc dignitas ut refert Gravatus in annotationibus suis ad *e. 2. prax. Vestiv.* ex *Gomesio*, primo instituta fuit à *Benedicto II.* ac postea *Eugenii Sixti*que beneficium aucta à *Pio V.* ejusque in *Sede Apostolica* Successoribus confirmata.

8. Olim amplissima fuit Majoris Pœnitentiarii jurisdictio, sed à *Pio IV. Const. 53. In sublimi.* B. *Pio V. Const. 83. In omnibus*



& Urbano VIII. 10. Jan. 1634. *Const Regimini.* quæ in Bullario non habetur, sed adducitur à Nicolio *Part. 2. lucubr. l. 5. tit. 39.* restricta est & reformata. *Nicolinius ibid.*

9. Debet verò Officium suum per se ipsum exercere vel si absens sit aut impeditus alium ex S. R. E. Cardinalibus idoneum sibi Propœnitentiarium subrogare, qui hoc munus pariter per se ipsum exequatur literasque non Pœnitentiarii delegantis, sed suo nomine jubeat expediri. *Pius V. Const. 83. In omnibus.*

10. Quapropter Major Pœnitentiarius semel quolibet mense, aut sæpius, si fuerit necesse convocat per Capellanum Pœnitentiariæ Officiales suos, de quibus inferius; quæ convocatio Signatura Pœnitentiariæ dicitur, ideo quod in ea memorialia signentur à D. Regente, & graviores casus à Procuratoribus propositi discutiantur, gratiæque concedantur vel negentur.

11. Adhæc singulis annis confert se Major Pœnitentiarius post prandium ad tres primarias Urbis Basilicas nimirum ad Lateranensem S. Joannis die Dominico Palmarum: Ad S. MARIÆ Majoris feria quartâ: Quintâ vero & sextâ majoris hebdomadæ ad S. Petri in Vaticano, ibi-



ibique super folio tribus vel quatuor gradibus elevato tanquam Tribunali sedens per aliquot horas audit pœnitentes quoscunque & undecunque accedentes, auditosque mittit pro casuum absolutione & si necesse sit dispensatione ad Minores Pœnitentiaros, qui in singulis prædictis Basilicis commorantur.

12. In rebus autem gravioribus jubentur adire Officiales suos ibidem præsentés, eorumque permittit arbitrio gratia concedenda sit, nec ne. Qui benigne auditis pœnitentibus causas discutunt, & si gratificandi sit locus, remittunt illos ad eosdem Pœnitentiaros Minores.

13. Sunt verò Pœnitentiaros illi Minores in Basilica S. Petri in Vaticano Patres à Societate JESU, ad S. Joannem Lateranensem Religiosi ex Ordine S. Francisci de Observantia, & ad S. MARIAM Majorem Patres à Familia S. Dominici. Singuli habitant ad suas Ecclesias, habentque singuli unum qui Superior Pœnitentiariæ dicitur, & sustentantur sumptibus Pontificiis.

14. Constituit illos Major Pœnitentiarius prævio examine super eorum idoneitate in Signatura S. Pœnitentiariæ factò. Hi præsto sunt quotidie in Basilica



suis ad excipiendas confessiones Sacramentales in variis linguis etiam orientalibus, quas dum audiunt manibus tenent Virgam ligneam pœnitentialem, & induti sunt stolâ violaceâ. Gaudent etiam quibusdam prærogativis nimirum quod in sollemnioribus supplicationibus Pontificis; ut festo Corporis Christi induti planetis incedant post universum Clerum sæcularem & regularem immediate ante Episcopos. Cæterum in iis quæ ad hoc munus pertinent, subjecti sunt Majori Pœnitentiario. In iis vero, quæ concernunt disciplinam regularem, subditi sunt Prælato propriæ Religionis,

Ejusdem generis videntur esse Pœnitentarii almæ domus Lauretanæ, qui sunt Religiosi è Societ. JESU.

15. Major quoque Pœnitentiarius dum audit pœnitentes manu tenet virgam pœnitentialem acceptam ab uniuscujusque Basilicæ Minorum Pœnitentiariorum Superiore vel Decano, cui qui reverenter se tangendos submiserint, centum dies indulgentiarum illis in forma Ecclesiæ consueta conceduntur, prout declaravit Paulus V. Calendis Aprilis Pontificatus sui anno quinto.

16. Ter quot annis solennem celebrat Missam coram Pontifice, videlicet: Feriâ

riâ



riâ quartâ cinerum, feria sexta majoris hebdomadæ, & die Anniversario defunctorum.

17. Diplomata sua gratis, etiam pro scriptura concedit. Pro casibus occultis, & simplicibus absolutionibus, quæ ad ordinarios dirigit, mittuntur clausæ ad formam literarum familiarium sigillatim munita; Pro publicis verò casibus circa absolutiones dispensationes, rehabilitationes, & similia ad favorem Regularium atque etiam Laicorum, qui ad Sedem Apostolicam missi fuerant pro absolutione à censuris obtinenda Brevi dat patentia cum pendentem per cordulam rubeam sigillo ex cera ejusdem coloris, incluso in capsula ovata ex stanne confecta.

18. Quadruplices verò gratias concedit Major Pœnitentiarius I. in foro conscientie simul & in actu Sacramentalis confessionis. II. In foro conscientie tantum. III. In utroque foro. IV. Simpliciter absque ullius fori expressione, prout est in literis Remissi absoluti. Gratia primo & secundo modo concessa non suffragantur in foro exteriori, seu judiciali. Tertio verò & quarto modo concessa possunt & debent in eo suffragari, ideoque earum executiones de-



mandantur Ordinariis, qui sunt Judices publici, neque in earum literis apponitur clausula: *Quod in foro judiciario nullatenus suffragentur*, ut in aliis gratiis apponi solet. Dicitur verò in secundo modo: *In foro conscientie tantum*, ob censuras, quæ spectant ad forum animæ, cujus solus DEUS Judex est.

19. In favorem sæcularium auctoritatem habet absolvendi ac dispensandi copulativè in casibus occultis solummodo, absolvendi verò etiam in publicis. At in favorem Regularium etiam in casibus publicis, idque in utroque foro potestatem habet & absolvendi & dispensandi.

20. Versatur verò potestas illius circa dilationes & commutationes votorum simplicium, & simplicis obligationis recitandi horas Canonicas: Circa absolutiones à casibus & censuris reservatis juxta supra dicta: Dispensationes super irregularitatibus; Convalidationes titulorum; Rehabilitationes ad beneficia & dignitates: Circa dispensationes cum Regularibus transire volentibus ad strictiorem, vel laxiorem Religionem: Condonationes & Remissiones pecuniarum & fructuum malè perceptorum sine præjudicio tamen certi Domini.

M

21. Se-



21. Sede vacante expedire solum potest quæ conscientia forum respiciunt *Clem. 2. §. est tamen de electione.* ideoque quoad illa non expirat Officium ejus mortui Pontificis, ne desint, qui pœnitentiarum confessiones audiant, & à censuris, pœnitentis, & à peccatis absolvant, atque in animarum periculum avertatur. *arg. c. 1. Ne Sede vacante & c. 1. de sepult. in 6.* In cæteris verò quiescit ejus Officium & auctoritas, ideoque à commutatione vel derogatione ultimarum voluntatum, & ab unionibus, suppressionibus & translationibus Beneficiorum, & absolutionibus Simoniacorum abstinet: Nec concedit absolutiones, vel mandata absolventi ab homicidiis, & aliis gravioribus delictis, nec commissiones alienationum bonorum Ecclesiasticorum in forma *Si in evidentem,* nec homicidæ voluntario etiam Canonicè absoluto Altaris ministerium, aut ascensum ad Superiores Ordines, & restitutionem aut retentionem Beneficiorum, quibus privatus fuit. Neque dispensationes matrimoniales concedit, neque Apostatis licentias obtinendi Beneficia Ecclesiastica, ac in illis ministrandi. *Pius IV. Const. 53. In summo.*

22. Literis Majoris Pœnitentiarii creditur



ditur, eaq; in utroque foro probant & suffragantur *Sixtus IV. Const. 23. Julius III. Const. 1. §. 4.* subscribit autem autoritate Officii sui & ex commissione generali libello supplici: *Fiat in formâ*, aut: *Fiat de speciali*, vel *Fiat de expresso*. qua subscriptionis varietate innuitur iis, qui literas expedire debent, quanti momenti sit res quæ petitur.

23. Qui verò executionem literarum sacrae Pœnitentiariæ impediunt, aut ad id consilium, auxilium, vel favorem præstant, sunt excommunicati. *Julius III. Const. 1. Rationi congruit.*

24. Major Pœnitentiarius quot annis percipit ratione Officii sui octo circiter millia scutorum.

*Vestrius prax. l. 1. c. 2. Azor. p. 2. l. 5. c. 38. & Cassan. Catal. gl. mundi. p. 4. consid. 17. Marci Pauli Leonis prax. ad lit. Maj. Pœnitent. c. 1. & 2. Lunadorus in relat. Nicolius l. c.*

§. 2.

De cæteris Officialibus S. Pœnitentiariæ.

1. *Officiales Pœnitentiariæ.*
2. *A quo hi constituentur.*
3. *Constituti esse debent in sacris Ordinibus.*



4. *Gratis expedire debent literas.*
5. *Tenentur servare secretum.*
6. *Formula juramenti.*
7. 8. 9. *Regentis officium.*
10. *Datarii Officium.*
11. *Correctoris Officium.*
12. *Consultores quales sint.*
13. *Sigillatoris Officium.*
14. *Tres Procuratores eliguntur prævio examine.*
15. *Quod eorum Officium.*
16. *Scriptorum Officium.*

I:

**M**AJOR Pœnitentiarius diversos sub se habet in Officio S. Pœnitentiariæ Adjutores, nimirum sex Officiales: Regentem, Datarium, Correctorem, duos Consultores & Sigillatorem; Atque sex Ministros videlicet: Tres Procuratores seu Secretarios, & tres Scriptores.

2. Sex Officiales præsentantur à Majori Pœnitentiario Summo Pontifici, à quo admissi, singuli ad sua Officia instituuntur, accipiuntque à Majori Pœnitentiario literas patentes sub sigillo cereo Pœnitentiariæ, capsulæ ovatæ ex aurichalco confectæ & pendulæ ex funiculo serico coloris rubei incluso; Traduntur quoque unicuique illorum à Summo

POB-



Pontifice literæ in forma Brevis sub anulo Piscatoris.

3. Omnes hi tam Ministri, quàm Officialiales in aliquo ex sacris Ordinibus constituti esse debent, & per se ipsos officia exercere fideliter tenentur, ideoque soli præsentibus, & actu munia sua exercentes, nisi legitime impediti sint, fructus & emolumenta percipiunt.

4. Nihil autem pro literarum confectioe & expeditione, nec etiam pro charta, atramento, cera, capsula, cordulis aliisque rebus ad expeditionem pertinentibus, neque à sponte dantibus acceptare possunt, sed omnia gratis expedire debent. *pius V. Const. 83. In omnibus.*

5. Tenentur sub Sigillo confessionis & vi peculiaris juramenti, quod emittunt in manus Majoris Pœnitentiarum non revelare arcana sacrae Pœnitentiariæ. Formula verò juramenti, quod quisque Officialium & Ministrorum præsentibus cæteris præstat, hæc est:

6. *Ego N. Regens ab hac hora in antea ero fidelis, & obediens B. Petro, & Domino nostro Papa N. ejusque Successoribus Canonice intrantibus: Officium meum fideliter exercebo & gratis,*



*tis, ejusque ratione nihil ab aliquibus etiam sponte oblatum vel donatum accipiam, præterquam salarium mihi constitutum. Secreta sacra Pœnitentiariæ, & occultos casus ac personas de quibus in ea tractabitur, nunquam cuiquam extra Officium revelabo. Et ita juro ad sacrosancta DEI Evangelia. Sic me DEUS adjuvet.*

7. Regens ex primariis Romanæ Curia Prælati eligi solet, & ut plurimum est unus ex Auditoribus Rotæ. Gerit vices Majoris Pœnitentarii, & supplices libellos subsignat, ac decreta opportuna apponit, vel concedendo in iis petita, vel denegando.

8. Bis singulis septimanis libellos supplices à se signatos distribuit inter Procuratores, de quibus infra, ab iis expediendos.

9. Supplicationes ritè confectas à Procuratoribus subscribit juxta ordinariam Majoris Pœnitentarii auctoritatem hoc modo :

*Fiat in forma vel: Fiat de speciali N. Regens: Si verò res collata fuerit cum Pontifice, istâ utitur formula:*

*Fiat de expresso. N. N. Regens.*

10. Da



10. Datarius quoque eligitur ex primis Romanæ Curia Prælatiſ, cujus officium eſt ſcribere in dictis ſupplicationibus datam diei, menſis & anni Pontificatus Papæ regnantis in hunc modum: *Datum Roma apud S. Petrum, ſi Pontifex ſit in Palatio Vaticano; Si verò commoretur in monte Quirinali: Apud S. MARIAM Majorem nonis Junii, anno ſecundo Pontificatus Sanctiſſimi D. N. Papæ Innocentii XII.* Et ſupponit nomen & cognomen ſuum Datarius.

11. Corrector ſeu Reviſor conſtituitur à Majore Pœnitentiario, vir inſignis, & in ſacris præſertim Canonibus verſatus; Hujus eſt ſupplicationes à Procuratoribus confeſas perlegere, & cum opus eſt corrigere, quo factò notulam peculiarem in extremitate ſupplicationum imprimi, & literas deinde omnes in forma Brevis, ac Bullas juxta præſcriptam ſupplicationis formam expeditas ſubſcribit proprio ſuo nomine & cognomine.

12. Duos Præterea habet Conſultores Major Pœnitentiarius, quorum alter eſt Theologus, & ordinarie ex noſtra Societate J E S U, alter celebris aliquis Canoniſta, quorum conſiliis in difficilioribus præſertim caſibus utitur. 13.



13. Sigillator publicum sacre Pœnitentiariæ Sigillum apud se retinet, & literas Majoris Pœnitentiarum nomine expediendas intus & extra, Bullas vero intus tantum subscribit post Correctorem hoc modo: *Gratis ubique N. N. Sigillator.*

14. Sunt præterea in sacro Pœnitentiariæ Tribunali tres Procuratores, seu Secretarii, qui ut valde in sacris Canonibus & lingua latina versati sint, necesse est. Eliguntur prævio concursu & examine coram DD. Regente & Correctore digniores, juxta reformationem Pii V.

15. Inter hos per Turnum distribuuntur memorialia, quæ a Curialibus, aliisque immittuntur in destinatam capsulam publicè expositam olim in ædibus D. Sigillatoris, nunc vero Illustrissimi Domini Regentis. Deinde ad mentem Majoris Pœnitentiarum vel Regentis, aut totius Congregationis conficiunt supplicationes, eisque conformes expediunt Bullas vel literas in forma Brevis.

16. Sunt etiam tres Scriptores, qui & linguam latinam & artem scribendi notas bullaticas callere debent. Admittuntur



tuntur hi quoq; prævio concursu in præsentia Regentis & Correctoris; Eorum Officium est describere supplicatines in charta pergamena, quas deinde tradunt Procuratoribus expediendas.

*Vestrius l. 1. c. Marcus Paulus Leo in præxi c. 1. Lunador. in relat. De Luca disc. 12. Rel. Rom. Cur.*

C A P U T VI.  
M E T H O D U S.

Recurrendi ad S. Pœnitentiariam, ejusque Literas legendi, intelligendi, & exequendi pro casibus, quorum absolutio seu dispensatio ab hoc Sacro Tribunali impetratur.

Extracta ex Praxi Marci Pauli Leonis è Societ. JESU, Manuductione Tiburtii Navar Ordinis Minorum S. Francisci Strict. Observantia, & Instructione Parochorum & Confessariorum edita Romæ Anno 1689.

*Episcopis, Superioribus, Regularibus, Pœnitentiariis, Confessariis & Pœnitentibus perquam utilis.* Pars